# DE VERA VEL FALSA TRADITIONE HISTORICA

*REGULISQUE*

AD EAM INTERNOSCENDAM

*EXERCITATIO CRITICA*

Habita in Collegio Romano Anno MDCCLV.
Menſe Auguſto die 22.

AB ALOYSIO BRENNA

SEMINARII ROMANI ALUMNO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*ROMÆ MDCCLV.*

TYPIS JOANNIS GENEROSI SALOMONI

*PRÆSIDUM FACULTATE.*

Digitized by Google

Digitized by Google

I. NIHIL nunc fieri frequentius videmus, præſertim ab iis, qui puerili ætate imbuti nonnullis opinionibus, cum ad multam ætatem adoleverunt, eas ſibi evelli nulla ratione ſinunt; quam ut argumentis omnibus, quæ contra fiunt, *Traditionem* ſcutum veluti quoddam opponunt: nec opponunt ſolum, ſed eam urgere quam maxime ſolent, atque exclamare; Traditionem intactam ſervari, Traditionem everti non oportere; Adverſarios vero ſuos *Sciolorum*, *Criticorum*, &, ſi ſuperis placet, *Hæreticorum* nomine traducunt. Atque hi quidem toti ſunt in Traditionis vi, & auctoritate exaggeranda. An vero, ubi volunt vera extet Traditio, an ſit illa potius populi rumor quidam, ſit vulgi opinio χθὲς καὶ πρώην exorta; de hoc nihil omnino laborant. Atqui illud erat, de quo quærendum prudentibus doctiſque hominibus videbatur. Nos de hoc argumento omnium, ut credimus, utiliſſimo, atque ad Hiſtoriam præcipue Eccleſiaſticam neceſſario, quantum brevis exercitatio patitur, agemus.

II. Et primò, quod a nemine factum video, placet Traditionem in duo veluti genera partiri; quorum primum voces, & loquendi modum, alterum res ipſa complectatur. Extat enim Traditio quædam, quæ circa voces verſatur, quas longus Eccleſiaſticorum Scriptorum uſus præſcripſit, & veluti probam, ſignatamque monetam adhiberi, & quaſi expendi in Theologico ſermone juſſit. Exemplum ſit in voce λόγος ad ſecundam SS. Trinitatis Perſonam ſignificandam. Diſplicuit vox illa Origeni, noluitque inter alias potiſſimum uſurpari (*Comm. in Joann. tom.* 2. *Origenian. pag.* 19.). Nihilominus eſt omnium Chriſtianorum, atque Eccleſiæ uſu conſecrata, ut Græcam eam vocem Marius Victorinus Latinus ſcriptor retinere voluerit. Latinam *Sermo* adhibuit Tertullianus, Cyprianus, Lactantius: multo vero frequen-

Google

tiores alii *Verbum*, qui ita etiam legerunt apud Joannem; quos diligenter recenſuit Sabatier. Quamvis ergo Eraſmus *rectius*, *&* *aptius* Græcam vocem, *ſermonis* voce exprimi, quam *Verbi* dicat, eamque repoſuerit in altera editione N. T.; idque vulgo Heterodoxi faciant in Verſione, vel Paraphraſi ſua Junius, & Tremelius, Beza, Caſtellio, Hammondus &c. fuſeque de ea diſputet in *Onomatol. Meſſiæ* Glaſſius; aliquam tamen hic traditionem agnoſcimus, probamuſque Petavium dicentem ( *lib.6. de Trinit. cap.*1. *n.*5. ) *Tametſi ſermonis vocabulum ab nonnullis Patribus tributum ſit Filio, hoc tamen tempore nonniſi temere, atque etiam ridicule anteponatur alteri, quod & multo uſitatius eſt, & ex aliquot ſæculis jam ſolum in Eccleſia retinetur, & ad ſignificandam Filii perſonam longe eſt aptius*.

III. Præter ſolitarias voces eadem extat Traditio de nonnullis dicendi modis, imo ſimilia quædam, ſunt antiquitate ipſa præſcripta ad Fidei Myſteria explicanda. Ut in eadem re conſiſtamus, ad Filii proceſſionem a Patre, & diſtinctionem Perſonæ, ſive unitatem Naturæ exponendam uſi ſunt veteres ſimilitudine *Luminis de lumine*, quod non primùm Nicæna Fidei formula uſurpavit, & Patres, quos Petavius protulit ( *lib.*5. *cap.*8 ); ſed inerat antiquioribus Fidei formulis, ut patet ex ea, quam Euſebius in Concilio Nicæno exhibuit apud Socratem ( *lib.*1. *cap.*8. ) affirmatque ea tradere, *quæ acceperat tunc, cum baptizatus eſt* ὅτε τὸ λουτρὸν ἐλαμβάνομεν. Aliud exemplum veteres uſurparunt *Verbi humani*. Cum vero duplex Verbum ſit ἐνδιάθετον, ſive *internum* quod mente concipimus, & προφορικὸν *prolatum* a nobis; ( quæ veteres etiam diſtinxere his nominibus, ut liquet ex Plutarcho *in lib.* ὅτι μάλιστα ) plerique alterum hoc adhibere maluerunt, vel ſolum, vel cum altero conjunctum. Improbavit quidem hoc ſimile Irenæus ( *lib.*2. *cap.*28. ), eoque in rem ſuam uſi Hæretici præſertim Samoſateni apud Ephiphanium ( *hæreſ.*65. *n.*3. ): ſed valuit præſcriptio Catholicorum illa; itaque poſtea etiam Auguſtinus ſæpius eo uſus eſt. Ita licèt altera *Luminis* ſimilitudine Hieracles abuſus fuerit, ut ex Hilario cognoſcimus ( *lib.6. de Trinit. num.*12. ), non propterea ab Eccleſia deſerta eſt, imo in Symbolo conſecrata. Contra accidiſſe videtur alteri ſimili ad explicandam unionem naturarum in Chriſto, videlicet *animæ*, *&* *carnis*, quæ unum hominem efformant. Nam ante Euthychianam labem in Fidei ipſis formulis invenitur; poſtea vero vix apud alium occurrit, quam Vigilium Tapſenſem, qui non breviter eam proponit, ſed fusè eam explicat, atque defendit. Itaque nos antiquius Eutychiana hæreſi auguramur eſſe Symbo-

Digitized by Google

lum, quod Athanaſii nomine circumfertur, ubi ea ſimilitudo occurrit.

IV. Hæ voces, hi loquendi modi animadvertendi omnino ſunt, quod in Myſteriis Fidei noſtræ explicandis, præſertim Trinitatis, & Incarnationis, iis maxime uti debeamus, quos Eccleſiaſticorum ſcriptorum, atque Eccleſiæ uſus nobis conſignavit; ut non ſolum ea proponamus, quæ ab Eccleſia edocti ſumus, ſed eo etiam modo, qui nobis eſt traditus. Sed ſunt, qui hic Platoniſmum obtrudunt; voluntque Patres, cum Platonis ſcholæ addicti eſſent, Chriſtiana dogmata, Philoſophico, ideſt Platonico pallio obduxiſſe, verbiſque ſolemnibus Academiæ uti maluiſſe. Si de meris nominibus quæſtio eſſet, nec res tantæ, quanta ſunt hujuſmodi Catholica dogmata, explicarentur; ſi hic ut diximus, ad rem ipſam nomina, & voces non pertinerent; cavendi tantopere hi non eſſent, qui hoc obtrudunt, Sociniani præſertim homines. Sed ferendi non ſunt; cum hac veluti machina traditionem, qua opprimuntur, declinare, ſive abolere curant. Non ii ſumus, qui Platonem adeo diſplicuiſſe Patribus velimus, ut contendit Baltus; nec cum eo Philoſophiam omnes relegamus a veteribus Chriſtianis, & non Eclecticam potius concedimus. Sed id omnino volumus, quod Myſteria Trinitatis, & Incarnationis pertinet, primò & rei ipſius, ſive dogmatis, & verborum præcipuorum, quibus proponenda ſunt, extare Traditionem; ſecundò etſi in Platonis libris, quædam adumbratio videatur eſſe Myſterii Trinitatis; eam tamen, ſi non alia omnino res eſt, ut nonnulli cenſent, ſaltem mancam eſſe, atque a Chriſtiana multum aberrantem; quæ vero Platonici exactius poſtea protulerunt, eos, adultâ & propagatâ Chriſtianorum Religione, ex noſtris libris mutuatos. Patres Antenicæni, qui non ita exactius loqui videntur, nequaquam a Platonicorum ſchola Verbi illam προέλευσιν ad Mundi conditionem extulere. Bullus, quem reliqui ferme Theologi ſequi ſolent, non æternam Verbi generationem, ſed temporariam manifeſtationem externam eos intellexiſſe exiſtimavit. Clariſſimi Ballerinii, Zenonem tantò poſt eadem repetentem, de Decreto loqui exiſtimarunt, quod Deus habuit de Mundo condendo. Nos, quibus poſtrema hæc interpretatio paulò ſubtilior, & longius accerſita videtur, primam Bulli explicationem ita ducimus temperandam, ut nonnihil hic habeat loci verborum præſcriptio de qua loquimur; illa nimirum, quam ſacræ litteræ, cum de Sapientia, Verboque Dei loquerentur induxerunt *Proverb.* 8. 22. *Eccleſ.* 1. 24. *Gen.* 1. *Joan.* 1. *&c.* Hoc modo defendimus Juſtinum Athenagoram, Tatianum, Theophilum Antio-

Google

chenum, & Zenonem etiam Veronenſem, aſſerimuſque eos Arianis, ſive etiam Socinianis nullo pacto favere.

§ V. Tranſeo ad res ipſas, de quibus extare Traditionem nemo Catholicorum negat: Traditionem vero hanc triplicem faciunt Divinam, Apoſtolicam, Eccleſiaſticam. Nos hæc genera omnia omittimus, quæ ſunt Theologorum ſermonibus trita, nec ita propiùs hiſtoriam ſpectant. Aliam Traditionem quamdam, quam *Piam* vocavit, in hiſtoriam inducendam eſſe, pugnavit Honoratus a S. Maria, gloriatus in ea, mirum quantum ineſſe ſubſidii ad difficiliores quæſtiones enodandas, & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſinus explicandos. Sed vereor ut tantum, quantum ipſe voluit præſidii in ea reperiri poſſit: ſuſpicor etiam illius, quam Traditionis nomine deſcribit, nullum eſſe uſum. Atque ille quidem ubi fusè probare conatus eſt (*toto primo tom.*) imperfectam adhuc eſſe Criticæ artem, imo vitioſiſſimam, ſi principia ſpectentur ab ejus Magiſtris conſtituta; quod ancipiti, incertoque fundamento nitantur: ubi etiam addidit errorum quamplurimorum originem a Criticis ipſis eſſe repetendam, quod contraria ſæpe reſpondeant, & idem probare modo, modo improbare videantur; his incommodis omnibus Traditionibus iſtis ſuis mederi ſe poſſe putat. Itaque reliquis operis ſui partibus, & regulas diſcernendi veras a falſis traditionibus ponit, & exempla quædam, quibus regulas explicet, producit. Nihil hic attinet ut de prima, aut poſtrema ejus operis parte dicam. Etſi, quod primam pertinet, diffiteri non poſſum, probare me nequaquam poſſe, quod tam ſæpe, tam acriter ſummos homines traducat. Et ſimilia quidem ipſe facere videtur, atque is, qui in magnifica, regiaque domo aranearum telas, quæ in angulis deliteſcant (nec vero fieri aliter in magna domo poteſt) avide perveſtiget, inventiſque gaudeat, & exultet. Ita in magno Tillemontii opere & ceterorum pugnam aliquam verborum, ſive ſententiarum aliquot invenire, non magnum fuit; cum contra præclara, egregiaque eſſe quamplurima, omnes qui illud legerunt agnoſcant, & fateantur. Quid? quod cum in poſtrema parte depromit ipſe ſua, atque ad exempla Traditionis producenda deſcendit, vel ea plerumque ſtabilit, quæ erant antea ſapientiorum conſenſu aliis argumentis firmata, vel incerta, ut erant, relinquit: ut hic valeat Terentianum illud *in Phorm. Act. 2. ſc. 4. v. 19.*

*. . . . . . . feciſtis probe:*
*Incertior ſum multo quam dudum:*

Interpres ejus latinus proferri aliquod exemplorum hujuſmodi poſtulat. Ego unum proferam ex *lib. 5. diſſert. 1. art. 2.* ubi con-

tendit extare Traditionem antiquiſſimam de eo, quod ſit Chriſtus mortuus, cum annum ageret ætatis trigeſimum; concluditque productis 37. vel 38. Eccleſiaſticis Scriptoribus, inveniri 24. aut 25. qui hoc *poſitivè* dicant. Nam ſi eorum ſinguli examinentur, nulli ferme præter Origenem, Philaſtrium, Clementem Alexandrinum, & fortaſſe Africanum invenientur, qui hoc affirment; Qui quidem etiam ideo illud poſuerunt, quod annum unum duraſſe Chriſti prædicationem arbitrati ſunt, juxta Iſaiæ illud: *Ut prædicarem annum placabilem Domino*. At Honoratus, ſive imprudentia, ſive ut hoc quoquo modo efficeret quod volebat, non id ſolitariè propoſuit, ſed duobus aliis conjunxit, de quibus ingens extat teſtium numerus; obiiſſe nimirum Chriſtum anno Tiberii xv., & duobus Geminis Conſulibus. Merito ergo aut hominis fidem, aut diligentiam deſideres, nihilque effici ab eo putes.

VI. Ad *Pias* ipſas *Traditiones* venio, quas idem Auctor diſcernendas docet à falſis, ſive vulgi erroribus. At quâ id ratione facit? Primo regulam illam exagitat, qua ad expurgandam a fabulis hiſtoriam Eccleſiaſticam Critici utuntur; *Non eſſe admittendum factum hiſtoricum, quod ab Auctoribus ejuſdem, aut ferme ejuſdem temporis non confirmetur*. Deinde loco pronunciati hujus ſuas ipſe depromit regulas. Primo id queror; invidiosè propoſitum illum Canonem. Confitetur ibidem ipſe, atque alibi (*tom.*1. *diſſ.*2. *p.*2. *art.*5. *p.*229.) tempus illud, quod hic *idem* aut *ferme idem* dicirur, ad ducentos, aut etiam trecentos annos extendi. Ita profecto habet Tillemontius *in epiſt. ad Lamy*: *Si nullis rationibus confirmatà prodantur, quæ ante annos ducentos, aut trecentos evenerunt, fidem ipſis derogamus, præſertim Græcis Scriptoribus, qui, ut Judæi, ad excogitandas, & hauriendas fabulas mirifice facti ſunt* (1): ubi animadvertere licet de Græcis eum nominatim loqui, quod ſint fabulis addicti. Secundò, addi etiam cautionem, ſi ea proferantur, quæ nullis ſint rationibus confirmata. Simili pacto Mabillonius (*de ſtudiis monaſticis part.*2. *cap.*8.) *Cum neque auctores equales, nec alii unius, aut duorum ſæculoram intervallo bis ſuccedentes de re aliqua loquuti ſunt de qua recentior aliquis nullam ductus auctoritate teſtimonium dicit, nihil ipſis deferendum eſt* (2). Ergo ipſe quoque vult ut nulla ductus auctori-



(1) *Nous croyons ce que les Grecs, & les Romains nous diſent des coutumes de leurs tems: mais s'ils nous parlent ſans preuve de ce qui s'eſt fait, je ne dis pas mille ans mais deux, ou troiſcens ans avant eux; nous ne les croyons* [illegible] *les Grecs, faciles comme*

(2) *Quand il arrive, qui ni les Auteurs contemporains ni ceux, qui les ont ſuivis après un, ou deux ſiecls, n'ont point parlè d'un fait, & qu'un Auteur plus recent l'aſsùre ſans aucune autoritè; alors il n'y faut pas avoir egard: autrement ce ſeroit ouvrir la porte à toutes ſortes d'er-*

Digitized by Google

ctoritate id auctor recentior dicat. De hac re fuſius præ ceteris, qui de vi argumenti negativi diſſeruit uberrime Launojus, quantumque id valeat ac ſæpius a PP. & vetuſtis Scriptoribus uſurpatum ſit, quamplurimis adductis exemplis oſtendit: ſunt ergo illius hæc verba *tom.* 2. *part.* 1. *oper. pag.* 43.) *Cum nullus omnino Scriptor equalis vel ſuppar, nullum prorſus traditionis monumentum æquale, vel ſuppar alicui facto, quod memoria dignam fuit præſtat teſtimonium, tunc ex eo ſilentio, quod ducentorum plus minus annorum eſtimari poteſt, efficax depromitur argumentum*. Idemque in *animadverſione ſecunda* contra Thierſium queritur, illum diſſimulaſſe quouſque auctorum ſuppariuin ætatem extenderet. Ex eodem præterea haurias, quantopere hoc argumentum adhibuerint preter veteres, etiam recentiores prudentiſſimi viri, præſertim vero Baronius, apud quem certiſſimam regula eſt, qua injectas in hiſtoriarum Fabulas exſcindat: *Quod a recentiori auctore profertur, contemnitur*. Deinde hoc ab Honorato ipſo peto: Cum pias traditiones inducere in hiſtoriam vult, quid *Traditionis* nomine intelligat? An quod voci huic ſubjectum eſſe debet, an quod omnino eſt alienum? Si Traditionem intelligit, id nimirum debet ſignificari, quod conſtat ab antiquioribus per manus traditum, perveniſſe ad recentiores; ergo teſtimonia extare debent, quibus efficiatur, non nunc primum, aut heri in ora hominum fuiſſe inductum. Nec vero is ego ſum, ut omnino neceſſario illud requiri dicam ad quamcumque Traditionem, ut dimanationis ejus, ſive propagationis teſtimonia ſcripta extent; præſertim cum nec Symboli, quod ſcripto olim non conſignabatur, nec ſacrorum librorum *identitatis* ſcriptum teſtimonium requiri poſſit. Video & Irenæum Traditionis vindicem ex Epiſcoporum ſucceſſione, Traditionis teſtimonium repetere *lib.* 3. *cap.* 3. Sed utcumque ſit de Divinis, & Apoſtolicis traditionibus, in quibus ille univerſalis, & perpetuus conſenſus ita diſertus, expreſſuſque eſſe potuit, ut ſcripta teſtimonia non deſiderarentur; in Hiſtoricis traditionibus id requiri omnino videtur; quò ſcilicet conſtet, ea per manus ab uno alteri fuiſſe tradita, & de aure in aurem per continuam narrationem, aut famam communem eſſe depoſita: præſerim cum inciderint aliquando tempora, ſæculo nimirum VIII. & IX., in quibus fabuloſæ quævis narrationes certatim ab hominibus proferrentur; ſive eorum ſæculorum vitio, ideſt ignorantia; ſive quod, abjectis ab Iconoclaſtis ſacris monumentis, ea inſtaurare quoquo pacto vellent. Si hoc eſt, jam ad Traditionem requiritur, ut vera ſit, illa virorum eruditorum regula, ut antiquorum factorum antiqui ſint teſtes: aliter quî diſcerni poſſit a populi rumore recens inducto, nunquam

Digitized by Google

probabis: Vidit, id opinor, Honoratus: itaque hujuſmodi teſtimoniis contentus eſt, quæ in Breviariis, & Martyrologiis reperiuntur. Si de antiquiſſimis rebus ſermo ſit, non ſatis eſſe hoc teſtimonium & adducta argumenta, & plurima exempla probant. Proferam unum, Euſebii Ceſarienſis ſanctitatis. Nam in Martyrologio Uſuardi *ad diem* 21. *Junii* legitur; *Civitate Ceſaræa Paleſtinæ S. Euſebii Epiſcopi, & confeſſoris viri, excellentiſſimi ingenii, & Hiſtoriografi*. Ita legi in antiquiſſimo Hieronymiano Epternacenſi ultro omnes admittunt, ut admonuit Sollerius *ad Uſuardum*; immo in aliis Hieronymianis, hunc eſſe intelligendum Euſebium, idem docet, addens; *extra controverſiam eſſe, totis ſeptem, & amplius ſæculis ſaltem ex quo Uſuardi Martyrologium in Eccleſia Occidentali ubique receptum eſt, Euſebii illius cum ſanctis reliquis memoriam in ſacris faſtis celebratam*. Si ergo Traditionis idonei teſtes ſunt Martirologia, traditio extabit de Euſebii Sanctitate, cultuque in Eccleſia Catholica. Ego virum doctum complector, a quacumque etiam Arianiſmi labe hiſtoriam ejus Eccleſiaſticam aſſero eſſe immunem; cultum tamen ab Eccleſiam catholica credere nolo; nec opinor credent antiquitatis Eccleſiaſticæ non omnino ignari. At enim regulæ ſunt ab Honorato poſitæ quibus falſæ Traditiones iſtæ diſcernantur a veris. *Ut uſus & facta hiſtorica, quæ proponuntur*, inquit, *nihil præſeferant vanum ſuperſtitioſum, inutile; ut nihil narrent indecorum, ridendum, improbabile, nihil etiam contineant adverſus uſus, & tempora, neque a virorum dignitate, & perſona aliena; Ut quæ contra objici poſſunt elidi ſolidè poſſint*. Sunt hæ quidem ab Honorato regulæ propoſitæ; ſed quæ, ſi verum dicendum eſt, *principium*, ut ajunt, *petere* omnino videntur. Nam id ipſum quæro; An probabile illud ſit, an vero ſit fabuloſum; an tale extet teſtimonium, ut eo confiſus contradicere abnuentibus poſſim &c. Præterea, quam ſunt hominum diverſa ingenia, ut id aliis fabuloſum videatur, improbabile, aperte incredibile; pro quo alii jusjurandum ſuum, ſi opus eſt, interponent. Id ergo quærimus, quo ſuadeamur rei veritatem omnibus, nec rem eorum mero judicio aut eſtimationi committamus.

VII. Nos ergo primo Traditionem admittimus, atque in ea duo præcipue conſideranda eſſe dicimus. Primò Traditionis hujus originem; deinde ejus ad noſtram uſque tempora deductionem. Originem quod ſpectat; ſi aut conſtet, aut colligi argumentando poſſit, ex errore quodam eſſe ortam, quem continuò homines altè imbiberint, & propagarint; non Traditionis, ſed rumoris alicujus popularis loco deputandum totum illud erit. Horum errorum fon-

Google

tes aliquos, *Exercitatione* altera *Critica* aperuimus; ut cum ſymbolica monumenta habita ſunt pro hyſtoricis; cum non ſatis intellecta phraſis emphatica hiſtoriolam cudit&c. Huc etiam fortaſſe pertinet opinionis fons de anno Chriſti ortus, quem in vulgarem ſupputationem ſive Dionyſius exiguus, ſive Panodorus induxit. Orta ea videtur primò, quod Chriſtum annos triginta tres vixiſſe ſupputatores illi exiſtimarint, deinde quod Chriſtum eo anno mortuum exiſtimantes, quo cum Plenilunio Feria VI. concurrebat id anno 33. contigiſſe viderunt, nunquam vero multis ante illum annis. Atque hoc alterum de *vero & Aſtronomico* plenilunio quam ſit fallax argumentum, jampridem viri docti animadverterunt. Sed uberiora exempla Martyrologia ſubminiſtrant. Hanc eorum eſſe veluti progeniem quandam, ut ex Adone Uſuardus, atque ab his ceteri ſua eorum deſumpſerint; Ado vero ex Romano *Parvo* quod vocant; Romanum *Parvum* ex hiſtoria Rufini; obſervavit, docuitque Sollerius diligenter. Quidquid ergo Rufinus peccat, late in ceteros quoque dimanavit. Præter Rufinum ſi qua antiqua Martyrum Acta ad Martyrologorum manus pervenerunt, iis ſunt illi uſi; præſertim Ado, & Uſuardus. Verum in expendendis monumentis illis non nimium fuere moroſi, & quidquid vitii illa habebant, imprudentes admiſere. Id ſæpius animadvertit laudatus Sollerius, ut de S. Andeolo loquens *ad diem primum Maii*; *Elogium*, ait, *ipſi contexit Ado ex vulgatis Actis tunc receptis*, *in quibus examinandis neutiquam ſcrupuloſus ea in faſtos ſacros retulit*, *quæ admitti omnino non poſſint*. *Acta ipſa nec vetuſtiſſima eſſe*, *nec plane ſincera*, *ſatis agnovit Henſchenius &c.* Ad *diem* quoque 16. *Menſis ejuſd.* adnotavit, Sancti Torpetis Elogium ex Actis ſuſpectis fuiſſe excerptum; atque idem *ad diem* 20. de S. Baſillæ Elogio; *Sumpta ſunt quæ hìc narrantur ex famoſis Actis*, *vel potius ex pio drammate neſcio quo pridem exornato in honorem S. Eugeniæ*. Die vero *tertia Junii* Henſchenii verbis utens, Eraſmi elogio ait, præluxiſſe haud dubiè Acta illa, quæ vulgò in legendis circumferri ſolent, non ſine *juſta ſuſpicione gratuitæ fictionis*. Si ergo conſtet, aut ſatis probabili ratione appareat, vitioſam eſſe originem; inter veras Traditiones connumerari illa non poteſt. Quo quidem loco & illud animadvertendum eſt, eò cautius rem gerere oportere, quò res fuerit antiquior, & veſtigium non conſpicatur niſi poſt octavum ſæculum, quando fabellis multo liberior adytus factus eſt.

VIII. Preter Originem *Deductio* Traditionis ad ætatem noſtram conſideranda eſt, quæ quidem debet eſſe hujuſmodi, ut ejus curſus numquam interruptus appareat. Interrumpitur, vero, non

Digitized by Google

ſolum , famâ illâ exinctâ , ſilentibuſque omnibus ; ſed multo magis , ſi adverſus eam Scriptores excitentur, eique vehementer contradicant . Requiritur præterea , ut , ſi res magna ſit maximèque notabilis , non unius tantum , aut populi aut regionis teſtis extiterit , ſed in alios quoque fama dimanavit . Denique ut ita non unius loci, non unius temporis homines teſtimonium perhibuerit , ut unus ab alio mutuatus eſſe , nihil de veritate cogitans , nihil advertens , dici non poſſit . Priora illa duo ex Traditionis natura ipſa , ſponte fluunt . Si de hiſtorica Traditione loquamur , cum fontem ejus incorruptum eſſe ( ut in divinis Apoſtolicis atque Eccleſiaſticis Traditionibus evenit ) non liqueat ; ut conſenſus ille hominum auctoritatem , quam debet obtineat & rem conficiat , requiritur omnino hoc tertium , quod merito ſæpius videas deſiderari . Diximus ſuperius de Adone Uſuardo ceteriſque Martyrologis . Atqui illud in confeſſo eſt, ab Uſuardo Adonem exſcribi , utrumque vero ferme ab Notkero . Itaque illud ſæpe dilrgens eorum examinator , & peritus Judex Sollerius admonet *Uſuardus & Notkerus ex Adonê verbum de verbo plane reddiderunt* (*ad diem 7. Jan.*) : *Ab Adone poſitus iiſdem ipſis verbis , quæ ex eo Uſuardus , & Notkerus deſcripſere* ( *Ad diem 31. Jan.* ) : *Jam vero Uſuardum hic rurſus ex Adone ſua fere omnia deſumpſiſſe manifeſto intelliges ſi utriuſque verba præfatis diebus interſe contuleris &c. Notkerus ipſiſſima Adonis verba hoc die ad apicem , refert ... Laudatiunculam , quam ei Ado concinnavit noſter deſcripſit &c. Noſter ſua omnia ex Adone deſumpſit* ( *ad diem 6. Feb.* 10. 24. ) . Quod millies poſtea repetit . Bene ergo idem Sollerius *ad diem* 4. *Maii* animadvertens, quæ Ado , & Uſuardus de Santo Quiriaco dixere , ex Actis deſumpſiſſe , atque ex his ceteros ; ſcribit ; *antiqua Acta redolent , quibus tot Martirologorum auctoritas non plus fidei addidit* , *quam primus eorum compilator mereatur* .

IX. Quod hoc poſtremo loco diximus tanti eſt , ut regulæ ſive indicia merito expoſci poſſe videantur , quibus id ipſum agnoſcamus ; alios ab aliis nullo prævio examine fuiſſe exſcriptos . Sit ergo *Primum* ; Si vel auctor ſit hoc ingenio ut alios magis deſcribere , & ductores veluti ſuos ſequi , quam perpendere , & ſcrutari malit . Hujuſmodi eſſe Chronicorum Scriptores , qui in antiquis rebus Euſebium ſæpe deſcribunt, ab aliis animadverſum eſt . Itaque iiſdem veſtigiis inſiſtentes fallunt alios ſæpe , & turpiter ipſi prolabuntur : ut Marcellinum non diſtinguentes a Marcello ; quod non modo Euſebii interpres Hieronymus facit, ſed Proſper , & alii nonnulli . Turpes hujuſmodi lapſus in Uſuardo , Sollerius aliique notarunt : cum ſcilicet Adonem tranſcriberet , Adonis labem

Google

ipſe quoque contraxit. Ita ( *ad diem* 24. *Maii* ) cum a Romano parvo aliqui adſcriberentur *Iſtriæ* , qui *Syriæ* erant addicendi; idem fecit Ado , *Quem* , inquit Heſchenius , *de more nullo prævio examine ſequuti ſunt Uſuardus* , *&* *Notkerus* : dolendumque eſt , ut idem Vir doctus adnotavit, in Romanum hodiernum Martyrologium promanaſſe eum errorem , correctum olim a Florentinio , & Henſchenio ; minus enim de Uſuardo mirandum eſt , qui , eodem teſte , *etiam fallentibus ductoris ſui veſtigiis inſiſtere aſſuevit* . Ita etiam ( *ad diem* 2. *Febr.* ) quidquid de Centurione Cornelio in Adone Uſuardus repererat , *Exinde deſumpſit ſervata circumſtantia baptiſmi a Petro Apoſtolo collati* , *quæ in rigore verborum textui ſacro non videtur conformis* , inquit idem Sollerius . Idem *Cæſariam in Lycia* ( *ad diem* 5. *April.* ) ex Adone poſuit, & ( *die* 12. ) de Julio Papa , *de exilio* , & *tribulationibus* illa , quæ a Baronio , & eruditis omnibus , teſte ſæpius laudato Sollerio, meritò reprobata ſunt . *Die Maii* 7. Ado cum Flavio , & Sociis *Fratrum* titulum addidiſſet , *Uſuardus in hujuſmodi rebus minus ſcrupuloſus Adonem ſimpliciter deſcripſit* . Sexcenta ſunt his ſimilia : atque eò quidem Martyrologia libentius commemoro , quod his fundatam traditionem arctius , ut dixi, amplectatur Honoratus . *Alterum* eſt indicium, Scriptorem aliquem, alium hoc modo deſcribere; ſi errata ipſius etiam notabiliora deſcribat . Nihil neceſſe eſt afferre exempla cum modo nonnulla attulerimus : ſed inſigne omnino eſt , & hoc loco commemorandum , quod Uſuardus ( *ad diem* 29. *Junii* ) poſuit Apoſtolorum mortem *Tuſco & Baſſo Conſulibus* , id eſt anno 239. ex Adone nimirum , qui idem habet , & cum Nerone conjungit . Denique *poſtremum* indicium facimus , cum ea etiam deſcribuntur , quæ licèt vitioſa hoc pacto non ſint , deſcriptoris tamen temporibus minime conveniunt . Lepidum omnino eſt , quod evenit in narratione Inſcriptionis effoſſæ in Inſula Tyberina Semonis Sangi a 1583., unde ſuſpecta eſſe cœpit nonnullis viris doctis Juſtini narratio de ſtatua olim erecta Simoni Mago . Nam Blaſius Vigenerius illud referens *non ita pridem* detectam eam inſcriptionem affirmat. Henricus Valeſius *non ita dudum* hoc factum ait. Valeſium exſcribunt Pagius & Kortholt. Du Meſnil a 1732. *in Præf. de Doctr. & Diſc. Eccl.* eamdem inſtituens narrationem *non ita pridem* id eveniſſe ipſe etiam aſſerit : atque ita phraſis illa *non ita pridem* ſpatium centum quinquaginta annorum perduravit ; nec dubitandum eſt, adhuc amplius ſuperfuturam . Exemplum ſimile aliquod reperire licet in antiquis . Nam Damaſcenus (*in lib. de Hæreſibus hær.* 75. ) de Aërianis id habet ; *Aërius iſte è Ponto oriundus hodieque magno h*

Digitized by Google

δεῦρο πειρατμὸς ἐςὶν ὅτος τῷ βίῳ. Atqui notum eſt Aërium ſæculo IV. labente vixiſſe. Sed nimirum Damaſcenus Anacephaleoſim Epiphanii, ut in libris ejus jacebat, tranſcripſit, adiecta ſolum viginti, ſeu vigintiquatuor poſteriorum ſectarum enarratione. Hanc dicimus Traditionis deductionem.

X. Verùm in ea, hoc maxime quærendum videtur, quorſum ea progredi debeat, & præcipue unde hic quaſi curſus repetendus ſit, ut vera Traditio eſſe poſſit. Ego quidem ſic exiſtimo, oportere aut antiquiſſimos vere nunc extare teſtes, aut *præſumptos*. Præſumptos dicimus, qui licet nunc non extent, tamen extitiſſe olim augurari poſſumus, atque ex iis poſteriores Scriptores ſua hauſiſſe. Antiquiſſimos vero appellamus, qui nondum memoria extincta ab iis qui viderunt, aut videntes audierunt reſcire potuerunt. In quo quidem accedimus eorum ſententiæ, qui duobus vel tribus ſæculis propiorem eſſe oportere qui teſtimonium perhibeat cenſuerunt. Hos veros eſſe teſtes Traditionis dicimus. Sed alii ſunt teſtes, quos appellabamus *præſumptos*. In tanto enim veterum monumentorum naufragio inique omnino ageretur cum Hiſtoria, ſi in veris teſtibus exigendis ſeveriores eſſemus. Sed hic ſcilicet labor, hoc opus eſt, ut præſumptos iſtos internoſcere poſſimus. *Primo* requiri illud videtur ut in antiquis, qui extant, Scriptoribus nihil reperiatur, quod his ex adverſo opponatur. Neceſſe eſt enim, ut nulla tunc hujuſce rei teſtimonia exſtiterint, vel eveniſſe illud, ut ſe mutuò eliderent. *Secundò* ſi paulo recentiores Scriptores ita ſua proferant, ut in rei veluti ſumma convenientes, varient in adjunctis: hoc enim argumento eſse videtur, alia extitiſse teſtimonia, eaque plura, & diverſa ex quibus quæ narrant haurirent. De Simonis Magi ſtatua Juſtinus, Irenæus, & ceteri Greci narrant; narrat etiam Auguſtinus. Sed habet hic aliquid, quod apud illos non invenitur, nimirum Helenæ quoque ſtatuam fuiſse erectam.

XI. Verùm hoc loco cavendum eſt, ne diverſa adjuncta eſse exiſtimemus, cum aliquid præciſe tacetur: eſt enim uſitatum veteribus, ut antiquiorum, ſive verba, ſive ſententias allegantes, nonnulla prætereant, neque omiſſionis hujuſce indicium præbeant. Licet id videre in Athanaſio cum in *Apologia contra Arianos* Synodicam Sardicenſem recitat. Ait enim: *Cum Euſebiani Julio Conſacerdoti noſtro ſcripſiſſent contra Athanaſium, Marcellum, & Aſclepam &c.* At Theodoretus eamdem epiſtolam recitans, qui Julio ſcripſerint nominatim appellatos a Synodica Sardicenſi inducit Euſebium, Marium, Theodorum, Diognitum, Urſacium, & Valentem. Eumdem Athanaſium proponentem alia monumenta prætermittere nonnumquam nomina Provinciarum, quod parvi refe-

Digitized by Google

rant ad rem de qua ageretur, adnotatum, eſt a viris doctis. Itaque ut argui tuto poſſit, monumenta quibus Scriptores utuntur fuiſse diverſa, neceſse eſt vel non meram omiſſionem fuiſse, vel id fuiſſe præteritum, quod modo videatur omitti omnino non debuiſſe, ut illud de Helena, quod dicebamus. Cavendum eſt etiam ne adjunctum diverſum hauſtum ex aliis monumentis videatur, quod ex mala aliqua interpretatione ortum eſt. Tale eſt, meo judicio, quod Philaſtrius unus omnino veterum de Paulo Samoſateno prodidit, circumciſionem eum docuiſſe. Hoc aio ex mala interpretatione totum eſſe enatum; quod nimirum veteres Paulum judaizaſſe ſcripſerint. Sed nihil illi volebant aliud, niſi Samoſatenum exiſtimaſſe, Chriſtum eſſe merum hominem, ut Judæi eum crediderunt. Atque hinc Epiphanius, qui *hæreſ.65. num.2.* negat Pauli ſectatores, *Circumciſionem adhibere, aut Sabbatum, alioſque Judæorum ritus obſervare*, habet eodem loco: *Iſti Judaicam opinionem interpolantes alteri Judæi nominandi ſunt ... Nam cum Deum ex Deo Unigenamque Filium, ac Verbum abnegent, ejuſmodi ſunt, quales ii fuerunt, qui præſentem illum ejurarunt*. Ita ſæpius alii Patres hæreſes, quæ Chriſti divinitatem negant, Judaiſmum appellant. Facit id Athanaſius *de Synod. t.1. pag.*740. in Marcelli hæreſi enarranda *Hujuſmodi ſunt ſectatores Marcelli, & Scotini Ancyrogalatarum, qui Chriſti ante ſæcula exiſtentiam & divinitatem, ejuſque perpetuum regnum cum Judæis inficiantur*. Faciunt in Arianis Nazianzenus & Cyrillus. Primus (*orat.25. p.*441.) ubi multarum hæreſum catalogum texit, nominat, *Arii, & eorum, qui Ario ſubſunt naturarum diverſitatem, ac novum Judaiſmum, ſolo videlicet ingenito divinitatem circumſcribentis*; Cyrillus vero Alexandrinus (*in Joan. cap.3. tom.4. p.19.*) *Judaicam Arii impietatem* τὴν Ἀρείου δυσσέβειαν Ἰουδαϊκὴν appellat. Epiphanius *hær.71.* quæ eſt de Photino *n.4. Verum niſi Dei ſit filius, inanis eſt illius labor, inane & animi propoſitum, vana denique ſpes omnis & cogitatio: nihil enim amplius excellentiuſque de Chriſto profitetur, quam Judæi ipſi, qui eumdem abnegarunt*. Quamquam quod primo loco Athanaſium appellavi, non ipſe quidem hoc facit, ſed formulæ illius conditores. Athanaſium enim nunquam Marcellum Ancyranum pro hæretico habuiſſe putamus; nec vero eſſe habendum, ſed recte de Fide ſenſiſſe ſemper, etſi novitatem aliquam in verbis ſectatus ſit, & a verborum Traditione illa defecerit.

XII: Denique *Quarto* alia videntur extitiſſe antiqua monumenta, ſi unum aliquod omnes amplectuntur, etſi eorum decretis, & quæ alibi ſtatuerunt, repugnare videatur: itaque in iis conci-

Digitized by Google

liandis toti ſunt, plurimumque adlaborant. Illuſtre hujuſce rei exemplum eſſe videtur annus Chriſti mortis; quem plerique Patres ſtatuunt eſſe duobus Geminis Conſulibus, ideſt anno ære vulgaris 29. (clariſſimi enim Blanchinii ſingularem opinionem nihil immoramur): atque hic eſt Tiberii annus ab Auguſti morte xv. mirum ergo accidit pleroſque vetuſtiſſimos doctiſſimoſque Patres eum Dominicæ morti annum deputare, qui Evangelicæ auctoritati repugnare omnino videtur. Etenim anno Tyberii xv. eumdem baptizatum, atque initium dediſse prædicationi, Lucas teſtatur. Neque hoc illi ignorabant; imo vero eorum aliqui, aut eadem ipſa verba Evangelii recitant, cum hoc aſſerunt, ut Clemens Alexandrinus; aut utrumque characterem Conſulatus Geminorum & Tyberiani imperii conjungunt, ut Tertullianus, Lactantius, Proſper. Itaque videas, hanc de anno emortuali ſub Geminorum Conſulatu, rem veluti certam teſtatamque ponentes, in eo laborare vehementer, ut ſententiam hanc, cum Evangelii verbis concilient, atque illuc deſcendere, ut dicant, Chriſtum prædicaſſe annum unum, ita ut potuerit ad baptiſmum venire anno Tyberii xv., atque eodem ipſo anno oppetere mortem. In cujus rei fidem teſtimonium aliquod quærentes, Iſaiæ locum illum, de quo ſupra dicebamus, allegant. Facit hoc Clemens Alexandrinus *lib.*1. *Stromatum*, hoc Tertullianus, hoc Africanus, hoc Gaudentius Brixianus; denique Petavio teſte *lib.*12. *doctrinæ temp. cap.*17. *Neque paucorum, neque Plebejorum Scriptorum fuit hæc ſententia, ſed doctrina, & auctoritate præſtantium & ſane vetuſtiſſimorum.* Quam ſit hoc durum, quamque Evangelio ipſi repugnans, nemo non videt. Neque illi opinor non aliquid videbant; ſed neceſſitate coactos ſe aliud facere non poſſe exiſtimabant. Quid illud erat? quod nimirum certiſſima haberent monumenta, quibus annus Chriſti emortualis Conſulatui duorum Geminorum conſignabatur. Qui loca illa Patrum ſolerter conſideret; qui animadverterit, de Chriſto Servatore noſtro judicium fuiſſe olim inſtitutum, & Romani Præſidis ſententiam etſi injuſtam, legitima tamen & ſolemni forma pronunciatam, ut confici Acta, totumque referri in tabulas addita temporis nota debuerit, mecum omnino ſentiet, & ex his ipſis Patrum locis de antiquioribus monumentis conjectare licere exiſtimabit.

*FINIS.*

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*F.M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinop. Viceſg.*

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Ordinis Prædicatorum, Reverendiſſimi Patris Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri Socius.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google